

Itaque haec de actionis chemicae usu ad mensuram galvanismi sufficient.

*De mensura electromagnetica intensitatis galvanicae.*

Mensura, quae ex actione electromagnetica galvanismi petitur, si modo bona methodo instituat, vel facilitatis, vel severitatis respectu omni alii mensurae generi praeferenda, maximeque eo commendanda, quod aequè ad circulos simplices quam compositos, aequè ad infimos quam maximos intensitatis galvanicae gradus usui est. Cum plures exstent modi, hanc actionem mensurae adaptandi, praemoneo, me non omnes recensurum esse, qui forsàn ex natura hujus actionis depromi possent, sed eas potissimum, quorum ad mensuram applicatio jam satis vel theoria vel experimentis exulta est, ut iudicium de iis certum sit. Cui enim usui foret, omnes maxime varios motus vel aequilibrìi situs corporum conductorum, circulo interpositorum, vel corporum magneticorum, in vicinia circuli suspensorum, percurrere, quos forsàn quis mensurae adhibere posset, profecto non meliori ratione, nec majori fructu, quam illos, de quibus hic acturus sum.

Hos quidem ad tres methodos referre licet, brevitatis causa a me appellandas primam methodum *declinationis*, alteram *torsionis*, tertiam *oscillationum*, quas deinceps exponam, paucis praemissis, quae ad singulas communiter conveniunt.

Ad omnem mensuram, quae ab actione electromagnetica petitur, acus magnetica aut majoris aut minoris molis adhiberi solet actioni recipiendae et indicandae. Sed simplici acui fere semper, ubi paullo majori sensibilitate opus est, substitui potest systema duarum acuum, Nobiliano more compositum, quo calculus observationum nihil mutatur, quippe qui absolutam quantitatem magnetismi, in quam agitur, semper ut factorem constantem, ergo in relationibus virium mensura determinatarum evanescentem secum fert.